



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Ioannis Ioviani Pontani amorum libri II.**

**Pontano, Giovanni Gioviano**

**Venetiis, 1518**

Ad Vicinos.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13534**

Parnasi neq; dum bibere fontis,  
 Doctas sed fugiet manus virorum  
 Et qui Castalio sinu recumbunt,  
 Contentus Miniate, si molestus  
 Non sit uel tibi, uel tuae Cicelle.

## IN ANTONINVM CINAEDVM.

a Antonine cinaedule

Huc ad nos redeas, namq; per Herculem  
 Ista turpiculas nates  
 Si te prenderimus iam usque adeo malis  
 Virgis exagitabimus,  
 Ut par sit sceleri supplicium tuo.  
 Audes tu media via  
 Me praesente meae communitarier?  
 Audes tu niueas rosas  
 E' nostrae gremio tollere cinnamæ?  
 Post hæc tam male, pallium  
 Nixus surripere, atq; in teneris manus  
 Immiscere papillulæ?  
 Quod si compulerit me furor improbus,  
 Disces postmodo quid siet,  
 Tam bellas manibus tangere foeminas.

## AD VICINOS.

u Icini moneo, bene, ac pudice

Seruetis mihi uos meam puellam,  
 Ne se conferat ad suos amicos.  
 Quos omnes amat impotente amore,  
 Nec mirum, quia mentulatores.

Quin et si cupitis probi uideri,  
 Tales passeribus salaciore*s*  
 Longe a coniugib*s* mouete uestris.  
 Et tu si sapis o*p*uella nequam  
 Istos desere pessimos amicos,  
 Et mecum maneas bona et pudica.  
 Nam iuro tibi per tuam Serapim  
 Tecum continuas iacere noctes  
 In multa recubans futu*r*ione.

## AD PERILLAM PVELLAM.

o*S*olatiolum meum Perilla  
 Dic quid Cinnama nostra rure fecis  
 Hos sex continuos dies? ualeat ne?  
 Nam quidam mihi pessimus cinædus  
 Dixit, quod tenerum pedem catella  
 Dum ludit nimium proacte morsu  
 Illi presserat, et domi manebat  
 Expectans medicos ab urbe missos  
 Quare te rogo per tuos ocellos  
 Illos præuenias, probeq*;* cures,  
 Nequa se nimium licentiosos  
 Præsent, dum cupiunt boni uideri  
 Nam bracis sine, pallio tumenti  
 Manu uix retinent utraq*;* penes  
 Infestos pueris, puellulisq*;*

## IN MALVM POETAM QVEM

Mutato nomine Vtricellum uocat.